

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De angelophilia h. e. de amore et officiis, quae nos
homines sanctis angelis debemus, oratio solemnis**

Böhmer, Moritz Wilhelm

Altdorf, 1697


urn:nbn:de:bsz:31-102802




Gym 211

Ex
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

65720





DE
ΑΓΓΕΛΟΦΙΛΙΑ,

h. e.

AMORE ET OFFICIIS,
QVAE NOS HOMINES
SANCTIS ANGELIS DEBEMVS,

ORATIO SOLENNIS

in

CELEBERRIMA ALTDORFINA

pridie Diei Michaëli Archangelo

in fastis sacri

A. O. R. MDCCXCVII.

publice recitata

a

MAVRITIO WILHELMO BÖHMERO,
Norimb.

Literis HENRICI MEYERI, Acad. Typogr.

(1697)

3

DE
ATTENOPHIA,
AMORE ET OFFICIIS,
QUE NOS HOMINES
SANCIS ANGELIS DEBITUR
ORATIO SOLEMNIS

in
CELIBERRIMA ALTDORFINA

partis Diei Michaelis adveniens
in the Gym
A. O. R. 1707
publice recitata

MARITIO WILHELMO BÖHMERO

Normb.

in the theatro publico

12



MAG
Comes P



valeant
nuperr
POL
mentiff
Sabaud
hostere
majorib
aut inpo
altius at
estuan
cant, &



PROGRAMMA.

MAGNVS DANIEL OMEIS,

Comes Palatinus Cæsareus, ac Moralium & Oratoriæ

Prof. Publ.



Ordinisq; Philosophici nunc Decanus,

L. B.

S. P. D.

SI ulla, post hominum memoriam, parta
Victoria est, in qua & infinita Divini Nu-
minis potentia se ostenderit, & quid san-
ctorum Angelorum custodia, fortiumq;
Heroum & militum virtus ac prudentia
valeant, cognitum & declaratum sit; in hac certe, quam
nuperrime Augustissimus & Invictissimus LEO-
POLDVS, Cæsar ac Dominus noster omnium cle-
mentissimus, ductu & auspiciis Serenissimi EVGENII,
Sabaudia Ducis, ab immanissimo Christiani nominis
hoste retulit, ita hæc omnia patefacta sunt, ut nunquam
majoribus & clarioribus argumentis aut illustrata esse,
aut in posterum illustrari posse videantur. Nimirum
altiùs attollebat cristas juvenili fervore supra modum
æstuans Turcarum Dominator, quem Sultanum vo-
cant, & aliquantis duarum expeditionum bellicarum

¶ ¶
successibus ferox, adhæc nefaria forsan, de certò expectandis in Pannonia superiore tumultibus, persuasione tumens, Christicolarum copias grandi despici-
bat supercilio; nec tam de prælio fortiter commit-
tendo, quam de irruptione in Hungariam superiorem
ac Transylvaniam facienda sollicitus, cœlum digito
se attingere, imò armis suis territare, somniabat. Ve-
rùm habet Superbia suos gradus: ad extremum de-
volvitur, postquam pervenit ad primum; nihilq; tam
propinquum est casui, quam quod est summum. Ti-
biscus fluvius, quem Sultanus, ut prælium declinaret,
transmittere jam cœperat, meta fuit, ad quam vox
hæc cœlo quasi delapsa barbarorum terruerat collu-
viem: *Vsq; huc venies, nec procedes amplius; & hic
confringes tumentes fluctus tuos!* Latitabat pars ma-
xima Turcici exercitus, ad ipsum flumen, tergeminis
receptibus, sive fossis castrensibus, munita, cum nu-
pero undecimo Septembris die, secundum fastos Gre-
gorianos, prope Zentam adventassent Cæsareani: sed
licet castra olim montibus vallaverit Hannibal, Ta-
merlanes in urbis modum & magnitudinem ædifica-
verit, Attila militaribus pellibus obruerit, atq; hic
Ottomannidæ curribus & munitionibus ea cinxerint;
Cæsareani tamen longe fortiori potentiori; DEI au-
xilio confisi, aperto procedebant campo, & in ipsa
castra, horumq; munitiones, tanto incurrerunt impe-
tu,



tu, ut, primùm quidem ab hoste pene desperante fu-
riosius repressi, mox tamen alium post alium barba-
rorum regressum heroica expugnaverint fortitudine,
eaq; certaverint virtute, ut hinc viros, inde pecudes
putares. Cumq; hostis ab explicato Christicolarum
exercitu magis ac magis implicaretur, jamq; turpem
agitaret fugam per pontem flumini injectum; hic ve-
rò Principis fugitivorum curribus & impedimentis
onustus adhuc repletusq;, turmis conglobatis viam
intercluderet, factum est divinitus, ut, sine magna
Christianorum clade, in acie hac, ipse post Sultanum
maximus militiæ Turcicæ Imperator, quem magnum
Vezirium appellitant, & Supremus Janitzarorum Præ-
fectus, horumq; flos omnis extinctus, triginta quasi
barbarorum millia partim in castris & fuga cæsa, par-
tim Tibisci vorticibus absorpta, medijsq; in undis, su-
per cadaverum cumulis ac tumulis, tropæa erecta fu-
erint. O Victoriâ pulcherrimam planeq; insignem!
O Prælium cædibus ac strage hostium atrox, rerumq;
magnitudine & fama pene incomparabile! Quo ipso
exultantem Turcarum, horumq; Dominatoris, fero-
ciam repressimus, illorum temeritatem prudentia,
furorem fortitudine, audaciam virtute, superavimus,
immesum barbarorum exercitum ferro, igne, aqua,
delevimus, ingentem curruum ac pretiosissimorum
tentoriorum apparatus diripuimus, centum &



¶ ¶
quinquaginta tormentis, signis militaribus octoginta,
innumerabili equorum, boum & camelorum, copia,
multo argento & commeatu, secretioribus cancello-
rum bellicorum scriptis, lectioribus Sultani pellici-
bus, universis deniq; castris, potiti sumus; adeoq; ex-
teris simul Principibus pressæ Germaniæ nondum ex-
tremos conatus ostendimus, ac publicæ patientiæ illu-
dere parantibus, justæ defensionis instrumenta com-
monstravimus. Quinam igitur arcus aut obelisci,
quæ statuæ, emblemata, tropæa, erigi poterunt,
quibus LEOPOLDI MAGNI, PII, VICTORIS,
TRIVMPHATORIS, Gloriam & Felicitatem non
dico exæquare valeamus, sed ex parte tantum adum-
brare? Enimvero non opus est, ut exstruamus illi Py-
ramides, quæ puncto terminantur; LEOPOLDI
Victoriæ, & augmenta gloriæ, terminos nullos agno-
scunt. Non desiderat Ille columnas, quæ deorsum
basi nituntur; LEOPOLDI Nomen Numenq; Cœ-
lo innititur. Non exposcit arcus, qui curvantur & fle-
ctuntur: recta est Ejus vita ac disciplina militaris, in-
flexa Imperatoris constantia: non tabulas & emble-
mata; Virtutes Ipsius factis & æternis ingeniorum
monumentis, non coloribus, illustrantur. Vult po-
tius CAESAR Sacratissimus, atq; ipsa Pietas flagitat,
ut ingeminemus cum Angelis: *Sanctus, sanctus, san-
ctus Dominus exercituum: plena est omnis terra glo-*

-mvp

ε Α

ria

ria ejus
quod mile
rum, ita hi
lia perime
qui tradu
mediam
& vigint
aurea Im
tani in a
stra sese
litasse, in
nuisse. H
voluntate
nobis, tu
ac vires
missa. A
Angelo
tem un
suppetia
fugasse,
itaq; du
quod; a
Austriac
orum m
stiterit,
quam ho




ria ejus! Ut cantemus canticum novum Domino, quod miserit Angelum suum, qui, ut olim in Assyriorum, ita hic in Turcarum castris, multa virorum milia perimeret ac profligaret. Fides sit penes auctores, qui tradunt, Turcas captivos ingenue profiteri, circa mediam noctem, prælium hoc antegressam, quatuor & viginti viros, candidis vestibus indutos, & vexilla aurea Imperialia gestantes, super tabernaculum Sultani in aëre visos esse; mox versus Christianorum castra sese recepisse, hæc aliquandiu texisse ac supervoluisse, indeque tandem evertos sursum per nubes evanuisse. Hoc certo certius est, sanctos Angelos, jussu ac voluntate DEI O. M., cum aliis in negotiis opitulari nobis, tum in bellicis; eorumque auxilio ingentia spesque ac vires hominum sæpe excedentia prælia fuisse commissa. Nonne Judæ Maccabæo contra Timotheum, Angelos quinque, & adversus Lysiam pugnanti, Equitem unum in veste candida aureisque armis apparentem, suppetias ivisse, hostesque cœcitate confusos, fudisse ac fugasse, ex Maccabæorum historia constat? Nullum itaque dubium, quin Boni Cœlestesque Genii Serenissimo quoque adfuerint EVGENIO; & orante ELISAEO Austriaco, mons plenus equorum & curruum igneorum in unum Christianorum exercitum, sicque constitit, plures dimicare Angelorum copias pro ipso, quam hostiles contra ipsum. *Laudemus proinde Do-*

minum

✠✠✠✠

minum in sanctis ejus, laudemus eum in sono tuba, in tympano & choro: gratamq; mentem, amorem ac reverentiam debitam, exhibeamus Angelis ejus, custodibus & propugnatoribus nostris; hoc præcipue tempore, quo beatissimarum illarum Mentium memoriam in ecclesiis nostris solemus celebrare. Pietatis hujus specimen editurus, & circa crastini nonam antemeridianam, Deo juvante, in Auditorio Theologico, Orationem piam & imprimis eruditam, de Ἀγγελοφιλία h. e. Amore ac Officiis, quæ nos homines sanctis Angelis debemus, recitaturus est Vir juvenis ingenio nobili, eximiaq; virtute ac doctrina, commendatissimus, MAURITIUS WILHELMVS BÖHMER, Norimbergensis, Philosophiæ Candidatus, & S. Theol. Cultor perindustrius. Quem ut haud gravatim audire velint Magnificus Vniversitatis RECTOR, Perillustris & Generosissimus BARO, Facultatum omnium DOCTORES Amplissimi Celeberrimiq;, ut & Nobilissimus Ornatissimusq; Civium STUDIOSORVM cœtus, rogamus universos ea, quæ par est, observantia & humanitate. Agnoscat beneficium non modo Orator præstantissimus, sed etiam benevolentia hoc insigne argumentum exosculabitur Parens ejus maxime Venerandus; cui æque ac mihi operam istanc decentibus officiis demerendi industria nunquam est defutura. P. P. Altdorf I Nor. a. d. xxvii. Septembr. cio dcc. XCVII.

ORA-



ORATIO.



Um DEVS Optimus Maximus, Magnifice
Vniversitatis RECTOR, Perillultris &
Generosissime BARO, Maxime Reve-
rendi, Nobilissimi atq; Excellentissimi,
DOCTORES ac PROFESSORES,
tuqve reliqva Generosa lectissimaqve
AUDITORUM Concio, Cum DEUS

O. M. inquam, Israëlitas olim post catenatos labores, in-
gentesq; ærumnas, vultu tandem benigniore respexisset,
eosqve e statu diræ servitutis, in statum libertatis, e la-
bore variisq; perturbationibus in requiem, e densa cali-
gine, in plenam lucem, e morte quasi in vitam, e turbu-
lento calamitatum mari in securum portum, eduxisset;
ut Educationem hanc ex Ægypto in regionem, quæ lacte &
melle copiosissimo abundabat, ita animis suis trabali,
quod dicitur, clavo infigerent, nec eam vel temporis
diuturnitas tandem occultaret, vel animus forte meliore
luxurians ex memoria deleret, vel casus aliquis fortui-
tus densissimis ignorantia nubibus obfuscaret, certum
illi diem quotannis celebrarunt, Deoque, ceu grati animi
tesseram, sollennitatem ejus consecrarunt. Peræqve Ma-
jorum nostrorum ardentissimum pietatis zelum com-
mendare liceat, dum pari ratione modoqve, ne, quot &
quanta Clementissimum Numen in nos homines contu-
lerit bona, oblato incredibili divinoque Angelorum mu-
nere, oblivisceremur, deliberato consilio pioqve con-
sensu instituerunt, ut a posteris quotannis in præsens us-

B

que

que tempus, Festum Angelorum solenniter ageretur, aut saltem circa diem Michaëli Archangelo in fastis nostris assignatum, doctrina de Angelis in Ecclesiis publice pertractaretur, pieque infinita beneficia maximo Angelorum munere nobis exhibita considerarentur; ac Deo gratiæ agerentur immortales, pro immortalium horum spirituum, quæ nos dignantur, custodia, eorumque diurnum ac nocturnum ministerium præsidiumque; amplius expecteretur. En cedro dignum institutum! En laudabile factum! quod interna Summi Numinis reverentia, ut fructum haud contemnendum, protulit. Inde in posteris nefas duxerim, si talem pietatis affectum intra sese extinguerent, laudatissimamque hanc consuetudinem in desuetudinem abire permitterent. Quare & ego, tam grata & exoptata se offerente occasione, quod felix faustumque & ex omni parte salutare esse DEUS jubeat, tempori quodammodo velificari, piisque Majorum vestigiis & antiquæ consuetudini insistere, ac partem aliquam amplissimæ utilissimæque doctrinæ de Angelis, e Rostris hisce Academicis proponere constitui. Etenim, si de iis omnibus, quæ de Angelis annotari merentur, de Eorum nimirum essentia, numero, potentia, divisione in bonos & malos, utrorumque officiis, classibus, & quæ sunt alia, fusius cœpero dicere, pluribus sane verbis longissimoque sermone esset differendum; & cum de iis plene ac dilucide Theologia tum Naturalis tum Revelata sigillatim agat, seponam hæc, & solum de *Ἀγγελοφιλίας*, sive *Amore, Pietate, & Officiis, quæ nos homines sanctis debemus Angelis*, Summi Numinis nostrisque Ministris, pro temporis ingeniique ratione nunc dissertabo. Hoc autem opus molliorem me commovere omnino posset, quod præclare a Platone traditum novi, Orationi, & iis rebus, quæ oratione pertractantur, quandam inter se cognationem inter-

tercedere
ut ad res
dam requ
nebitque
nostris m
eloquii n
mam ha
valeat.
tequam
sumorur
pere co
stra bo
favore
secundi
facilius

C
nios,
modo
cet h
IIX. d
bus;
gia ad
tonen
Phæd
& egr
nis in
diffe,
ethnic
mum
nios,

tercedere oportere; ex quo facile intelligebam consequi, ut ad res divinas pro dignitate tractandas, divinum quoddam requireretur orationis genus. At vero manet manebitque sanctorum Angelorum omnibus cogitationibus nostris majus elogium, etsi imbecillitas ingenii pariter ac eloqvii nostri ad tantum fastigium, quod digne dignissimam hanc materiam exponamus, adspirare neutiquam valeat. Quod cum lubentissime fatear, illud modo, antequam ulterius provehar, a Vobis, Auditores eruditissimorum Optimi, & Optimorum eruditissimi, summopere contendo, ut, quando omne mihi per fugium in Vestra bonitate gratiaque situm est, tenuitatem meam vestro favore & silentio sublevetis, quo Oratio mea his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, portum facilius consequatur.

Certo certius est, quod Ethnici sapientiores, Plato, Socrates, Aristoteles, alii, agnoverint & crediderint, dari revera sive existere Angelos, quos ipsi Genios, Dæmonia, Intelligentias, vocant; quocumque etiam modo aut medio ad istam cognitionem pervenerint. Edoctet hoc præ aliis uberrime Augustinus Steuchus Libro IIX. de Perenni Philosophia, aliquot circa initium capitibus; & hanc quidem doctrinam ex Ebræorum Theologia ad omnes pene gentes permanasse existimat: ac Platonem præcipue in Timæo, in Phædro, in Gorgia, in Phædone, aliisque Dialogis suis, bene multa singularia & egregia de Diis illis ac Dæmonibus, qui rebus humanis intersint, & quæ fiant in terris, speculentur, tradidisse, summopere admiratur. Speciatim quoque multis ethnicorum persuasum erat, cuilibet homini, quamprimum natus esset, forte decerni atque adjungi duos Genios, quos *Δαιμόνες* vocabant Græci, eosque adesse ho-

mini toto vitæ cursu, & corpore extincto animam ejus ad Inferos deducere; unumque ex his Bonum esse Genium, alterum Malum credebant: illi, quicquid prospere evenisset, adscribebant; ab hoc tristitia noxiaque oriri & infligi censebant. Antea laudatus Plato, commemorante Apulejo, ex sublimiori Dæmonum copia autumat singulis hominibus in vita agenda testes & custodes singulos addi, qui nemini quidem conspicui, semper tamen adsint, arbitri omnium non modo actorum, verum etiam cogitatorum. Hos esse nostros custodes, ait, præfectos, domesticos speculatores, intimos cognitores, assiduos observatores, inseparabiles testes, malorum improbatores; in rebus incertis prospectores, dubiis præmonitores, periculosis tutatores, egenis opitulatores; qui nobis queant tum in somnis, tum in signis, tum etiam fortasse coram, cum usus postulat, mala averruncare, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, secunda regere, adversa corrigere. Idem Divinus Philosophus in Convivio suo, Dæmonum sive Angelorum Naturam inter DEUM & mortales esse mediam statuit, hancque interpretari & transferre humana ad DEUM, divina ad homines: DEUS enim, inquit, hominibus non miscetur, sed per id medium genus, omne commercium atque colloquium conficit, & vigilantibus & dormientibus. Addit sapientissimus Hierocles ad Aureum Carmen commentans: *Angelos* eos vocare mos est, tanquam indicantes & denunciantes nobis bene vivendi regulas. Alii salem in pectore habentium Ethnicorum, Genios etiam Præstites, qui viarum, urbium, & provinciarum gererent curam, agnoverunt; de quibus Ovidius canit:

*Qui stant pro nobis, & præ sunt mœnibus altis,
& sunt præsentēs, auxiliumq; ferunt.*

Ac

Ac Q
pro re
mos, in
cunctis me
pulis fatal
clarior l
non late
turæ ha
vicinar
non ac
& tanta
lebant
eam fec
llorum
dore in
quireba
Totam
ut eor
stote
quifiv
pater.
ptione
inferie
rate sa
sentia
ferunt
dissim
flagra
tam e
contra
vocer
nore n
mittere

Ac Q. Aurelius Symmachus in Relatione sua ad Augures pro restaurando Deorum Gentilium cultu, *Suis cuiq; mos, inquit, suis cuiq; ritus est; varios custodes urbibus cunctis mens diuina distribuit: ut animæ nascentibus, ita populis fatales Genii diuiduntur.* Cernimus inde meridiana clarius luce, latentes in profunda aliàs caligine paganos non latuisse Existentiam Angelorum; siue ex lumine Naturæ hanc acceperint, siue Reuelationi, aut Traditionibus vicinarum sibi gentium, acceptam ferant. At enim vero non acquiescebant mera hac notitia, sed pia mente, tot & tanta ab Angelis Geniisque in se collata beneficia colebant, commendabantq; non solum *αγγελοφιλικος*, sed & eam sedulo exercebant. Ac primo quidem cognoscendæ Illorum Naturæ magnopere studebant, & insatiato ardore in proprietates Intelligentiarum, quas vocant, inquirebant. Hinc dictus Hierocles ad Aureum Carmen, *Totam vim, ait, honoris (Angelis debiti) esse in eo positam, ut eorum natura non ignoretur.* Sane, quam curiose Aristoteles in naturam & proprietates Intelligentiarum inquisiuerit, ex Libris ejusdem Metaphysicis satis abunde patet. Docet ibi, eas esse substantias, materia & corruptione carentes, voluntate præditas, Deo inferiores; aliaque plura, Angelis quæ solent tribui, accurate satis perscrutatus est. Ab hac curiosa naturæ & essentia Angelorum indagatione, eo usque pietatis processerunt pagani, ut ardentissimo erga Genios, tanquam fidissimos amicos, defensores, vigilesque custodes, amore flagrarent. Æquum enim esse judicabant, ut illi, qui nos tam efficitim amare solent, vicissim amentur: *ἀφιέλκων* contra ac turpe, non respondere amore iis, a quibus provoceris. Dein honorabant quoque eos, & colebant: *Honore namque digni a nobis judicandi sunt, quos Deus admittere non est dedignatus;* ait rursus Hierocles. Laudes

quin etiam & Carmina iis decantabant. Ita Orpheus in principio Hymnorum statim testatur, se de bonis & malis dæmonibus cecinisse. Præterea & Genitum cumprimis invocabant, eidemq; sacrificabant. Unde illud apud Calpurnium in Eclogis :

— *Tu cespite vivo
pone focum, Geniumq; loci, Faunosq; Laresq;
salso farre voca!*

Atque istud Tibulli :

Magne Geni, cape thura libens, votisq; faveto!

Denique & fana ac templa exstruxerunt dedicaruntqve Geniis. Hinc Dio Cassius libro 47, vultures templum Genii Populi Romani insedisse narrat; & libro 50, Bubo, ait, in æde Genii Populi consedit, neque captus est, & tarde omnino avolavit. Neque vero minus in provinciis erecta fuere Tempa Geniis, quæ unum commemorat Ammianus Marcellinus Libro XXII. Atque hæc strictim ac breviter de paganis. Agite vero, quomodo nos, qui e sacris literis de Angelorum natura, & mille erga nos meritis ac beneficiis, clarius & uberius edocti sumus, geramus? quævalia sanctis & beatis Angelis Officia debemus? Debemus illis, tanquam fidißimis amicis & custodibus nostris, Amorem & Charitatem haud vulgarem. Etenim, si Amico fideli optimeqve de me merito, debeo Ἀγαπᾶσθαι, cur non magis Angelis? Hi enim sunt conjunctissimi comites custodesqve nostri in Vitæ Ingressu, Progressu, Egressu; in Infantia, Pueritia, Juventute, Senectute; in omnibus vitæ statibus & ordinibus, Ecclesiastico, Politico, Oeconomico. Post DEUM, acceptum ferendum est Angelis, quod vivi ex utero materno prodierimus, quod vivi ad sacrum Baptismi fontem delati simus, quod in primo ætatis flore, gravi lapsu membra non confregerimus, quod in

in ignem
Angeli no
incolumes
Asmodeus
tis nostris
gant, mar
lem ægre
mant, fo
cæcutier
am aper
finum d
cia! O
rum ho
ficut hi
amicus
ferit fo

Angel
tumni
tuna t
desqve
Profes
cubitu
bibent
tum q
mori A
dos A
vero,
tum &
tum a
tuum a

in ignem & aquam non inciderimus. Media in ætate Angeli nos comitantur, ducunt ac reducunt fortes atque incolumes, ut Raphaël Tobiam juniorem; depellunt Asmodeum, adsunt laboribus, studiis, honestisq; negotiis nostris. Denique & in senectute, quando oculi caligant, manus tremunt, genua labant, pedes corporis molem ægre sustinent, angeli valetudinem nostram confirmant, senectutem refocillant, vires seniles suffulciunt; cæcutientibus lumen præbent, morientibus vitæ januam aperiunt, animamq; nostram in beatissimum Abrahamæ finem deportant. O nunquam satis prædicanda beneficia! O certissima certissimæ amicitiae *numera*! Amicorum hoc in ævo fides & amor sæpius cessant & frigent; ac sicut hirundo æstate advolat, instante hieme avolat; ita amicus infidelis lætis in rebus præsto est, in adversis deserit sodalem.

*Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Angeli vero, mutata sorte, non Chamæleontis aut Vertumni instar, commutant formam ac fidem, sed in fortuna tam adversa quam secunda, fidi nostri amici custodesque permanent, & in altera quoque vita permanebunt. Profecto, quod mane sani surgimus, quod vespere salvi cubitum redimus, quod dormientes, vigilantes, edentes, bibentes, stantes, sedentes, ambulantes, in mortis fatum quotidie impendens non incidimus, custodiæ & amoris Angelorum est adscribendum. Ecquis ergo tam fidos Achates non amet, non depereat? Præter Amorem vero, & Charitatem insignem, debemus ipsis quoque Cultum & Reverentiam. Per cultum non intelligimus cultum adorationis; scriptum est enim: Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies! Estque adoratio cultus
reli-

religiosus, qui omnis, quocumque nomine veniat, Trinum DEO debetur. Angelos quidem adorasse leguntur Abraham & Loth; sed latet æquivocatio in voce *Adorare*, quæ ibi cultum tantum civilem, in profunda corporis inclinatione consistentem, & Viris honoratis & claris in Veteri Testamento plerumque exhibitum, designat. In Novo autem Fœdere, Johannes Theologus Angelum adoraturus, ab eo monetur: *Ne facias; conserved tuus sum: DEVM adora!* Si igitur Angeli sunt conserved nostri, eundemque Omnipotentem DOMINUM, qui cælum & terram implet, nobiscum agnoscunt ac venerantur; cur divino adorationis & invocationis cultu, ut Deum, aut Dominos, eos prosequamur? Illi enim ministri tantum sunt Æterni Numinis, a quo mittuntur in nostrum pariter ministerium & auxilium; quare, quæ bona per eosdem in nos conferuntur, non tam ipsis, quam soli DEO tribuere debemus. Cultum tamen & honorem haud exiguum illis ut præstemus, æquitas postulat. Angeli enim illustres Regis Regum, & Domini Dominantium, sunt Legati, cœli Principes, DEI familiares, qui quotidie ab ejus ore mandata accipiunt, eaque alacriter prosequuntur. Sunt in plena & consummata gloria, qua major ne fingi quidem, nec mente concipi potest. Ad hoc multa splendidissimaque virtute refulgent: cur ergo honor, ut virtutis præmium, ipsis denegandus erit? Honor, inquam, non vulgaris, aut quotidianus, sed nec divinus; talis tamen, qui longe major sit, quam qui mortalibus deferri solet. Aureum est monitum, quando sapientissimus Seneca, Virum aliquem Bonum eligendum esse, svadet, eumque semper ante oculos habendum, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. *Elige, ait, Catonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum, Lelium: elige eum,*
cujus

cujus
 ferens
 exemplum
 Angeli p
 ores, L
 eminent
 ad quo
 angulo
 cias, q
 mines
 studen
 geli, c
 quoq
 quæ n
 mum
 intuer
 ac rev
 hono
 ftis t
 fuisse
 Arch
 licet
 stolo
 gere
 illum
 hum
 com
 rus,
 quod
 contr
 Non
 & lap
 & E

cujus tibi placuit & vita & oratio : & ipsius animum ante te
 ferens & vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel
 exemplum. Nobis pro tali viro, sit Angelus custos, aut
 Angeli plures nobis præsentes, qui Catone multò gravi-
 ores, Lælio amabiliores, Davide sanctiores, Salomone
 eminentiores, Aristide justiores sunt. Idque ipsum est,
 ad quod pie pius Bernhardus nos hortatur : *In quo vis
 angulo reverentiam exhibe tuo Angelo ; nec eo præsente fa-
 cias, quod me vidente non faceres !* Si itaque veremur ho-
 mines, quos videmus, illisque præsentibus summopere
 studemus, ne quid mali admittamus ; quanto magis An-
 geli, quos quidem non videmus, sed qui in densissima
 quoque caligine opera tenebrarum cernere possunt, &
 quæ mala patramus, ad Æternum Numen tanquam sum-
 mum Judicem deferunt, quique faciem hujus perpetuo
 intuentur, eique in sanctitate serviunt, venerandi erunt
 ac reverendi ? Sed quid de Consecratione Templorum in
 honorem Angelorum facta, sentiendum ? Certe non San-
 ctis tantum, sed & Angelis Tempa quondam dedicata
 fuisse, exempla basilicæ Jenensis, aliarumque alibi Michaëli
 Archangelo assignatarum, commonstrant. Enimvero
 licet vel maxime sacras ejusmodi ædes in honorem Apo-
 stolorum, & Angelorum quoque, pio zelo quondam eri-
 gere non dubitaverit veneranda Antiquitas, honorem
 illum tamen minime fuisse religiosum ac divinum, sed
 humanum solum, in honorifica eorum recordatione &
 commendatione consistentem, probat alicubi B. Ziegle-
 rus, Jctorum Germanicorum princeps. Notetur interim,
 quod morem hunc non adeo probet S. Augustinus Lib. I.
 contra Maximinum, Arianorum Episcopum, scribens :
*Nonne, si templum alicui S. Angelo excellentissimo de lignis
 & lapidibus faceremus, anathemizaremur a Veritate Christi
 & Ecclesiæ Dei ; quoniam creaturæ exhiberemus eam servi-
 tutem,*

Ad Lancel-
 lot. Insti-
 tur. Can.
 L. 2. Tit.
 XII. §. 12.

tutem, quæ uni tantum debetur Deo? Et Libro de Vera Religione, *Honoremus*, ait, *Angelos charitate, non seruitute, nec Tempa eis exstruamus; quin ipsi Angeli sic honorari nolunt a nobis, quos ipsos sciunt DEI esse templa.* Hoc amplius per Angelos, etiam & Genios religiose jurare minime licet. Equidem in Jure Justiniano approbati videntur formula jurandi per Genium Principis; ipseque Justinianus Imperator in Novella nona Magistratus novos jurare jubet, non modo per Deum Omnipotentem, & Filium ejus primogenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, sed etiam per SS. Archangelos Gabrielem & Michaëlem. Verum sciendum, quod ratio illa jurandi per Genium Principis, ad superstitiones paganas, quæ tempore scripti istius Juris inter Romanos adhuc vigebant, sit referenda, & apud Christianos hodie minime toleranda. Dein per Angelos & Archangelos Juramenta minus recte concipiuntur, cum religio in eos non cadat, nec vindicta perfidiæ ipsorum sit, sed DEI. Quamquam in obtestationibus, cum solum in testimonium advocantur, locum invenire possunt, exemplo S. Pauli, qui ad Timotheum suum scribit: *Obtestor in conspectu Dei, & Domini Jesu Christi, & electorum Angelorum, ut hæc observes sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando;* Epistolæ prioris Capite quinto. Præter Amorem, Cultum ac Reverentiam, Angelis etiam Gratum animum debemus. Verum, quomodo gratam nostram mentem erga Ipsos testabimur? quæ ratione compensabimus eorum beneficia, vigilias, curas, custodiam? Tobias senior, eo quod Angelus Dei filium suum incolumem reduxisset in patriam, a faucibus balænae liberasset, ejusque iter & negotia secundasset, postquam diu hæssisset animo, quæ ratione hanc benevolentiam fidemque compensaret; Angelo tandem dimidium bonorum, quæ secum gnatus attu-

attulera
favit, Pa
tes litere
gratia fue
vendas e
nos, qui
quæ no
mus? A
possit,
nobis p
tur pra
gnum
dium b
digen
invoca
DEO
facere
"A
Ang
nim
sic cu
veole
xeru
mina
sanct
Ang
stis &
mu
nobis
tem,
Hoc
Fiat
vero

attulerat, obtulit. Angelus autem præmium istud recusavit, Patremque & filium hortatus est, ut laudes & gratias litarent DEO in cœlis apud omnes, quod tanta ipsos gratia fuerit complexus; non itaque sibi, sed Deo, persolvendas esse grates laudesque debitas, indicavit. Ecquid nos, qui custodiam, benevolentiam, & beneficia mille, quæ nobis Angeli quotidie exhibent, manu quasi palpamus? Annon studeamus, ut ea, quacunqve ratione fieri possit, grato animo compensemus? An sileamus, quanta nobis præstiterit Dominus per Angelos? Quodnam igitur præmium, quam mercedem dabimus hisce? quid dignum esse poterit illorum beneficiis? Offeremus dimidium bonorum & facultatum nostrarum? sed his non indigent. Offeremus dimidium laudis Divinæ; aut eos invocabimus? Id ipsum vero refugiunt. Laudes potius DEO dicamus: his enim delectantur & Ipsi; idem hoc facere, ipsis volupe. Denique & hoc quam maximè ad ἄγγελοφιλίου pertinet, ut Vitam & sanctitatem imitemur Angelorum, & peccata fugiamus. Quemadmodum enim apes fugat fumus, & graveolentia columbas expellit; sic custodem vitæ nostræ Angelum, lacrymosum & graveolens expellit peccatum; ait Basilius. Ac Veteres dixerunt: Noli peccare; Deus videt, Angelus adstat, mors minatur, diabolus accusat! Et quem non stimulet ad sanctimoniam & integritatem vitæ, quod gaudium sit Angelis de hominibus piis & pœnitentibus, sed de scelestis & peccantibus doleant? Agite ergo, Angelicos induamus mores, & sanctos illos spiritus, ut exemplaria vitæ nobis proponamus, eorumque castimoniam, sanctitatem, ac studium observandi mandata DEI, imitemur. Hoc est, quod in Oratione Dominica quotidie precamur: *Fiat Voluntas Tua, sicut in cœlis, ita & in terra!* Enimvero, qua ratione, quove modo, voluntas DEI a nobis exple-

expletur? quomodo mandata ejus expediuntur in terra, sicut in cœlis? Non alia profecto via & ratione, quam si SS. Angelorum vitam, eorumque castimoniam, munditiam spiritus, & obsequendi promptitudinem imitemur: si peccatum instar serpentis fugiamus, illecebrasque & retia mali dæmonis, quæ ad æternum exitium nos rapere queunt, caute circumspiciamus & evitemus. In Vitam Angelorum, tanquam in speculum intueamur, & ad eorum mores componamus nostros. Angeli nostri in cœlis sunt; non igitur conformemur mundo, sed cœlestia meditemur. Angeli Deum glorificant; cantemus & nos: Gloria in excelsis Deo! Angeli sunt casti mundi que spiritus: simus & nos puri corde; ita Deum videbimus. Angeli coram Deo se humiliant, ejusque voluntati parent: sic & nos studeamus modestiæ, Deoque in omnibus obsequamur. Angeli invicem sunt concordēs ac benevoli; ita & homo homini sit angelus. Verbo: Hac in vita Angelis similes fieri laboremus, ut in altera quoque fiamus *ἰσὶ ἀγγέλων*; ubi similes Angelis in sapientia, Deum cognoscemus; similes Angelis in munditie, peccare amplius non poterimus; similes in celeritate, corporis gravitate non onerabimur; similes in immortalitate, mortem non videbimus; similes in beatitate, æternum salvi erimus ac felices. Ita faxit Angelorum & hominum Dominus, benedictus in secula! D I X I.

Ingenio grates Geniis cœlestibus amplas
 Te debere pio, suavis Amice, refers.
 Quasq; potes, solerte refers jam pectore laudes,
 Ore refers docto, quod meruere decus.
 Conditor agnoscit sublimior. Ornet Is æquus
 Amplius, ac menti, quas petis, addat opes!

Gratulabundus scribeb.

JOH GABR. MAJER.

XI, A.



XI, A.

